

III.

NEOVIDENSIS

Nro 47. (*Neovidensis* Nro 70.)

*Noctis arbiter, umbrarumque potens hanc
dissertationem politicam populis sub Impe-
rio Austriaco viventibus legendam com-
misit.*

Elysium -- Meum. -- Die Martis 11. Sept. 1804 (Neov. 23. Aug)

— — Quid enim ratione timemus,
Aut cupimus!

Juven.

Colloquentes:

Franciscus Noe, et Barnavius.

Barnavius.

Recte eo fine egressus sum, ut præclarum
aliquem juventutis informatorem reperirem;
Si enim licet parva cum magnis comparare,
officium educandi est species quædam guber-
nandi civitatem. Ad aures meas pervenit,
te apud superos munere docendi esse fun-
dum & quidem ita, ut omnes officii tui par-
tes adamussim impleveris, & munc. —

Noe. Et cui bono meum officium? sum,
quam qui maxime, cupidus audiendi.

Barnavius. Ego interrogando urgeo:
Non tibi persuades posse Magistrum, aut
Pædagogum proles, vel adolescentes more
democratico docere?

Noe. Non sum ædipus, quid sibi vult hoc ænigma?

Barnavius. Nimirum debere Magistrum, antequam discipulis pensa e memoria recitanda assignet, primum eosdem interrogare, an velint ipsi parere, an ludum litterarium adire, an, & quomodo erudiri?

Noe. Sed quo pacto potes tam stultam ponere quæstionem? ex Prohibus quærere, an, & quid velint, inane est, illi certe semper libentius diem cessationis a studiis, diem lusus electuri sunt. Forte invenirentur nonnulli, qui vellent discere, sed habenda est ratio plurium, immo omnium.

Barnavius. At quid tunc, dum omnes boni forent, omnes cuperent bonis artibus imbui?

Noe. Tu de genere humano talia præsumis, quæ nunquam accidunt, nec unquam eventura sunt, sed nec scire possunt proles, quibus itineribus deducendæ sint ad bonas artes.

Barnavius. Ea est conditio hominum etiam in Civitate. Sunt inhabiles ad regnandum, & in hujus rei meditatione versandum mihi fuisset in mundo superiore. Verum revolutio multas veras ideas evertit, prostravit.

Noe. Profecto, uti supra bene observasti, Munus docendi est quædam exigua species regnandi. Magister multo melius debet scire, quam discipuli, quid sit, & quomodo tradendum. Ille potestate tam legislativa, quam executiva est instructus, &

quon
sitas

nis r
restit
fixun
testa
exec
tur;
redd
tuit
fuler
mult
uno

haur

gres
tius
anno
Imp
una

lasti
tum
lecti
extr
rita
præ

ut I

lico

quomodo, quæso, sine his partes sibi impositas sustineret?

Barnavius. Ita in actis gallicæ revolutionis nihil est memorabilius, quam successiva restitutio unius in imperio capitis. Principio fixum erat per institutam Democratiam potestatem leges ferendi separare a potestate executoria, ut eo certius Despotismus tollatur; sed hac ratione fuisset potius perennis redditus, & multiplicatus. Paulo post patuit, in magnis corporibus nunquam posse fulcrum unionis efformari, cum illud inter multos dividatur, fiducia autem tantum in uno soleat collocari.

Noë. Hujus rei cognitionem poteramus haurire in scholis.

Barnavius. Quam mirabilis rerum progressio! De passu ad passum, & semper altius; Primum Consul, dein Consul ad 10. annos, postea Consul ad dies vitæ, demum Imperator, denique perpetuus Imperator in una familia.

Noë. Ab hac re non abludit ordo scholasticus; Primo discuntur elementa litterarum, tum litteræ syllabatim efferuntur, sequitur lectio, & scriptio, posthæc grammatica, ad extremum Philosophia. Quemadmodum merita in gymnasio incrementum capiunt, & præmiis donantur, ita etiam in Civitate.

Barnavius. Quid autem est Bonaparte ut Imperator Gallorum?

Noë. Dum ante aliquot menses in Gallico Tribunatu sermo oriretur de conferenda

Napoleoni Imperatoria dignitate, plerique Tribunorum conabantur eum ad eam assumendam inducere dicendo, potestatem Imperatoriam esse protectivam. Sane hæc est ejus vulgaris significatio. Sed retinet ne eandem comparate ad interna negotia? Idem Romanorum Imperator, cujus potestas relate ad Germaniam tantum protectiva est, in hæreditariis Ditionibus summum tenet imperium. Inter protectivam, & summam potestatem ingens intercedit discrimen: Illa certis constitutionis limitibus constringitur, quos transilire nefas est, hæc autem ipsa Constitutione major, Leges fert pro arbitrio, easdemque exequitur. Quapropter Bonaparte non est Imperator in sensu, quem Tribuni huic nomini tribuerunt, sed Imperator, qui amplissimo jure præest provinciis. Inter Gallorum, & Romanorum Imperatorem hæc est differentia: Ille vocatur Imperator ejus regni, quod gubernat, iste earum provinciarum, quas tutatur; Hinc aliud denotat Imperatoria dignitas respectu Napoleonis I. & aliud respectu Francisci II.

Barravius. Quorsum evagatur tua oratio? An te latet, Franciscum II. esse modo etiam Imperatorem Austriæ?

Neo. Nequaquam; Immo vero antiquæ, & potenti Monarchiæ Austriacæ conveniebat, ut se nova honoris amplitudine aliis magnis imperiis, inter quæ Russicum refertur & Gallicum, æquipararet. Horum regnorum Imperantibus justum videbatur suam majestatem

titulo Imperatoris augere, poteratne ergo Austria aliud existimare, quam ut eundem eum illis honoris gradum occupet?

Barnavius. Res hæc est gravibus obnoxia difficultatibus.

Noë. Ego autem nullas inde posse nasci existimo. Adhuc quidem super hoc negotio nulla sunt aliarum Aularum prodita sensa, hoc tamen in dubium vocari nequit, omnes Imperantes pari jure debere esse præditos, si præsertim alicujus autoritas multis sæculis florens suis momentis ponderetur. Sed hæc de re satis. Narrabo tibi jucundiora, quæ

4. Augusti Petropoli gesta sunt,

Heri, utpote die nominis Matris Imperatricis, & Magnæ Ducis Mariæ, hujus nuptiæ cum hæreditario Principe Saxo-Vinariensi solenni cum apparatu celebratæ sunt. Jam prima die hujus mensis Imperator cum sua conjugè, & Mater Imperatrix cum celsissimis Sponso, & Sponsa in urbem advenerunt. Hesterno die mane frequentissimo numero confluxere ad Aulam ornatissimi homines, quo etiam Legati exterarum Aularum invitati erant. Hora prima Imperator cum utraque Imperatrice, & reliqua Cæsarea familia concessit in sacellum Aulicum, ubi nuptiarum pompa sacris cærimoniis in Ecclesia Græca usitatis augustior reddita est. Peractis divinis, & datis, redditisque salutationibus, ac congratulationibus, Cæsarea familia publicæ accubuit mensæ in societate ducentorum convivarum, qui lauto, magnificoque prandio excepti sunt in auro, quo tem-

pore, dum in salutem alicujus bibitum est, ex utroque munimento, & navibus, quæ ante palatium collocatæ stabant, tormenta resonare exaudiebantur. Inclinante in vesperam die, cænatum est, saltatus habitus, & tota urbs nocturnis luminibus coruscabat. Inter hos festos ignes primi habiti sunt, quos Præsidium, & Collegium rei navalis exhibuit, & e domibus Legatorum maxime eminuit Anglici, & Suecici. Solennia nuptiarum sex adhuc diebus continuantur. Hac occasione Comes *Kotsehubey* 100,000 Rubelorum, & rei bellicæ minister 80,000 dono accepit. Principi *Gailizin* Ordo equestris Annæ, Intimo autem Principis Vinariensis Status Consiliario, & supremo Aulæ Præfecto Baroni *Wollzogen* Ordo S. Alexandri Nevsky collatus est. Porro Princeps *Kurakin*, & Comes *Rumänzof* magni pretii annulis decorati sunt. Sed etiam Princeps hæreditarius pyxidibus, annulis, numis memorialibus, & aliis similibus magnas largitiones fecit. Jam prius multi currus rebus eximiis, mundo muliebri, & dote onusti Vinariam demigrarunt; Qui harum rerum translationem procurat, est dux belli a secretis Imperatoris.

Biographia.

Barnavius erat maxime actuosum primi nationalis conventus Gallici membrum: Ille est, qui tempore primæ internecionis, quam revolutio produxerat, dum adhuc consuetudo ferebat, ut homines e proxima laterna suspendentur, atque de hac crudelitate in Conventu nationali querelæ deponerentur, elato supercilio

dixit : Estne sanguis, qui fluit, ita purus, ut non debeat fluere. Hæc verba abierunt dein in proverbium, & ad excusanda terribilia homicidia in Septembri Anni 1792, patrata adhibebantur. Barnavius fuit e numero trium mandatariorum, qui Regem ex itinere reduxerunt. Verum ab illo tempore incidit in suspicionem Anarchistarum. Neque multum temporis præterlapsum est, quo proprio telo, illo nempe inhumano dicto : Estne sanguis, qui fluit, ita purus, ut non debeat fluere, confixus est. Mense Decembri A. 1793, Judicium illi sententiam mortis dixit, eamque actutum executioni muncipavit.

Noe Franciscus Magister Poëseos in Gymnasio Pragensi, natus est Iglaviæ in Moravia A. 1749. die 30ma Novembris. In eodem Gymnasio dedit operam studiis humanioribus, quibus terminatis ingressus est Societatem Jesu A. 1769, 27. Octobris, in qua docuit tribus annis Grammaticam, & uno Poësim, seque ipsum magis, & magis excoluit. Dissoluto ordine Jesuitanum creatus est Doctor Philosophiæ, spatio novem annorum tradidit Grammaticorum instituta, & ab Anno 1783, prælegit artem & rationem faciendorum carminum in minore Gymnasio Pragensi. Regnante Leopoldo II. factus est pro parte Gymnasiorum Assessor consessus litterarii, in qua statione omni contentione id egit, ut educatio juventutis emendaretur, & re ipsa eventus consilia ejus comprobavit; erat quippe non minus eruditus Professor, quam peritus negotiorum gestor. In præmium suorum meritorum ab Aula obtinuit, ut in collegium

Canonorum Regiæ Collegiæ Ecclesiæ
 ad Omnes Sanctos adlegeretur, eodem fer-
 me tempore renunciatus est Regius Censor
 librorum cum annuo 200 fl. stipendio, post-
 quam jam prius in censura librorum gratu-
 tam per decursum 14 annorum navasset operam.
 In hoc critico censoris opere improbo pœne
 labore se confecit, quotannis certe evoluit
 minimum 8000 plagulas chartæ, sed attrivit
 suam valetudinem, & acceleravit mortem,
 quæ etiam A. 1796, 25. Augusti secuta est.
 Noë erat præclarus juventutis Magister, litte-
 ris græcis juxta, atque latinis doctissime eru-
 ditus; pollebat præterea facultate ingenium
 juvenum cognoscendi, quæ res plurimum mo-
 menti habuit in iisdem dirigendis. In mune-
 re docendi transegit 24, annos, intra quod
 tempus 1400 & amplius discipulos ad disci-
 plinam erudit, a quibus tenere Patris instar
 diligebatur. At opera edidit pauca, Lucubra-
 tiones ejus quædam extant in p. uribus perio-
 dicis scriptis, v. 9. In Dissertationibus
 mensuris de cultura populi; In collectaneis
 ad Sta. isticam a Rigeno compilatis; In opus-
 culo, quod inscribitur: Pro Bohemia a Bo-
 hemis. Elegantius autem scripsit latine,
 quam germanice. Plura ad hanc rem perti-
 nentia videri possunt in *Schlesinger's Nerr-
 sten Jahrgang*, 2. B. S. 191 = 218.
